

XXX. Hos in fines homini christiano quam commendatissimum esse debet quotidianum *divinae praesentiae* exercitium, cuius actus non modo fidem eximie nutriunt ac inflammant, verum etiam prostratos animos purissima voluptate perfundunt secundum illud regii Psaltis: *Memor fui DEI, et delectatus sum.*

XXXI. Ex adverso summa cautione fugienda sunt vitia theologicæ fidei contraria, a) *Superstitio* inprimis ab hebetudine naturali et sinistra educatione ut plurimum proficiscens, et vel maxime b) *intempestiva adfectatio fortium*, ut se dicunt, *spirituum*, qui non rationis profunditate ducti, sed vanæ gloriolæ ac abiectæ cupidinis sensu allecti, primaria religionis dogmata explodunt, aut inter Christianos hæresin faciunt.

XXXII Ceterum quia Fides est sperandarum substantia rerum, si viva fuerit, *sine Spe* esse non potest, quæ tamen salutarem a beatitudine excidendi timorem non excludit. *

* *Vita æterna* ceu primum Spei theologicæ obiectum ex duobus elementis confurgit, moralitate videlicet et felicitate eidem proportionata: illa intervenientibus altioris gratiæ